



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 24. Quid notandum sit circa exemptionem quorundam Regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

possit ordinariè & ex privata causa, neque in sensu composito statûs Monachalis, quod videtur velle decretalis citata, attamen exigente causâ publicâ & gravissimâ potest permittere, ut Religiosus professus uxorem ducat, sicque à se dividat statum Monachalem, cum enim Deus exigente necessitate remittet jus acquisitum, & desinet consecratio per revocationem deputationis ad usum sacrum, & per conversionem ad usum profanum. Videri possunt *Suar. de Relig. T. 3. l. 9. c. 26. & Sanch. supra.*

- 168 Q. 24. *Quid notandum sit circa exemptionem quorundam Regularium. R.* De hac fusè agit *Sanchez* in *Conf. l. 6. c. 9. dub. 1. & seqq.*, apud quem videri possunt hæ assertiones deductæ & probatæ. 1. Regulares jure communi eximuntur à Dioecesana lege, ad quam spectat convocari ad Synodum, ad sepulturas, ad solutionem alicujus rei in signum subjectionis, decimationum, hospitiorum &c.; jure tamen communi non eximuntur à lege jurisdictionis, ad quam pertinet examen pro Ordinatione vel cura, datio curæ, prædicatio Evangelii, punicio delictorum &c. 2. Pleræque Religiones nunc exemptæ sunt à jurisdictione Ordinariorum, & nequidem ratione uniformitatis obligantur præceptis Episcopalibus, exceptâ celebratione festorum & cessatione à Divinis tempore interdicti: potest etiam Episcopus agere contra exemptos in delictis publicis vel contractibus extra locum exemptum, vel circa rem non exemptam factis; in causis mercedum & miserabilium personarum; item si turbent ejus jurisdictionem: item potest componere controversias eorum circa præcedentiam, & adigere ad processiones, exceptis
- 169 Monachis reclusis & Societate J E S U. 3. Si timeatur fuga, potest exemptus in gravi delicto deprehensus capi ab Episcopo, sed intra 20. horas extradi debet
- Super-

Superioribus: potest etiam Episcopus capere apostatam. 4. Novitii volentes manere in Religione exempta gaudent exemptione. 5. Exempti non tenentur ad jus reverentiale, id est, ad obviandum Episcopo introcunti. 6. Nequit Episcopus in Ecclesiis exemptorum, si inviti sint, convocare processiones, celebrare Ordines, Missas, officia judicicia; nec visitare, nec compellere, ut in Monasterio vice carceris retineant reum, etiam Ecclesiasticum. 7. In dubio, an jurisdictio contra exemptos pertineat ad Episcopum, judicat solus Papa. 8. Exempti non possunt resignare beneficium nisi in manus Papæ. 9. Omnes exempti manent subjecti Nuntio à latere vel habenti hujus potestatem.

Q. 25. *Qua officia & actiones specialiter prohibeantur Religiosis.* R. 170

§ I. Religiosus non potest esse Judex negotii forensis aut Ecclesiastici, nisi cum licentia Superioris saltem localis, & utilitate saltem indirecta Monasterii, Cap. 35. *Monachi*, 16. q. 1. Quod extenditur etiam ad Canonicos Regulares, Cap. *Ex parte*, 2. de postulando, *Sanch.* aliique cum *Castrop.* tr. 16. d. 4. p. 12. §. 1. Similiter non potest nomine proprio in civilibus esse actor vel reus, cum nec agere nec conveniri possit, sed solum Monasterium, cui se dedit, uti habent jura & AA. cum *Castrop.* §. 2. Nec fungi potest officio advocati, procuratoris, tabellionis, restis, exceptis casibus, de quibus *Castrop.* §. 3. & 4. Nec tutoris aut curatoris, Cap. *pervenit*, dist. 86. vide *Castrop.* §. 7.

§. II. Prohibentur etiam Religiosis actiones extrajudiciales, nisi Superiores dispensent, nam esse non possunt executores testamentarii, *Castrop.* p. 12. §. 1. Nec Medici vel Chirurghi, præsertim si facienda sit incisio aut adustio: possunt tamen Religiosi

G

Socie-